PA 6320
.J4
Copy 1

PA 6320
.J4
Copy 1

ARISTOTELIS
EX ARTE RHETORICA QUAERITUR QUID HABEAT
CICERO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE II. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

HUGO JENTSCH
LUSATUS.

ADVERSARIORUM PARTES TUEBUNTUR:

ALBERTUS GUETH, CAND. PHIL.
RUDOLFUS PITSCH, CAND. THEOL.
RICHARDUS WIECHMANN, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.
[1866].

ARGUMENTUM.[1]

PARS PRIOR.

Seiunguntur in Aristotelis doctrina ea quae etiam aliunde ad Ciceronem pervenire poterant, eaque quae Stagiritae propria existimanda ideoque necessario ad hunc referenda sunt.

§ 1. Cuius in Aristotelea cum Ciceroniana arte comparanda momenti sit universa rhetorum Aristotele antiquiorum doctrina.

§ 2. Quoad hos singulos noverit Cicero: Coracem et Tisiam, Protagoram, Prodicum, Gorgiam, Thrasymachum, Theodorum, Antiphontem, Lysiam, Isocratem, Alcidamantem, Naucratem, Ephorum, minores, Philiscum, Theodectem (cuius de arte quaeritur, quidque inter hanc et Aristoteleam intercessisse putandum sit, quae sint eius reliquiae, quo tempore scripta videatur, an Ciceroni nota), rhetoricam ad Alexandrum.

§ 3. Aristotelei systematis rhetoricae quoad iam apud priores inveniantur initia his cum illo collatis illustratur: I. quid de horum systematis sciamus: inventorum, Protagorae, Gorgiae, Theodori, Alcidamantis, Theodectis, imprimis rhetoricae ad Alexandrum.

[1]) Praefatio commentationis universae et ex prooemio partis alterius cap. I, 1 typis descripta hic exhibentur.

II. quoad ab his Aristotelea desumi potuerit ratio: quaeritur de definitione, de rhetoricae materia, quaeque oratori scienda sint, de generibus rhetoricae eiusque partibus inventione elocutione dispositione.

§ 4. Colliguntur singula praecepta quae inter Aristotelem et antiquiores artium scriptores quoad hae exstant consentiunt in inventione elocutione dispositione.

§ 5. Comparatur universa Aristoteleae et priorum artium indoles atque ingenium: I. principium materiale, 1. quid sit sequendum (veritas et probitas), 2. qua ratione (argumentis fidem esse faciendam). II. principium formale, 1. disciplinae formam induxit *a.* in singulis: rationibus addendis, *b.* in universum: systemate componendo, 2. usum simul spectavit.

§ 6. Platonis de arte rhetorica quoad respicienda sint percepta: I. quoad Cicero eius Phaedrum et Gorgiam noverit. II. quoad eius sententias accepisse videatur. —

Summa haec effecta est:

Principia rhetoricae ad quae doctrina Aristotelis composita est a nullo qui eius aetate esset prior ad Ciceronem pervenerunt: nam Platonicae rationis nulla apud hunc sunt vestigia, reliqui autem scriptores quae secuti sunt ea cum Stagirita non conveniunt. — Systema vero quaeque ad id pertinent omnino a nullo potuit Tullius accipere cum illius ante philosophi artem paene nullum exstiterit initium. — Ex singulis denique Aristotelis praeceptis quaedam huic cum prioribus communia esse certo diiudicari potuit; in reliquis autem conicere licuit utique aliqua Aristotelea iam prioribus fuisse cognita. de his igitur omnibus non iam ferri potuit iudicium.

PARS ALTERA.

Comparatur cum Aristolea doctrina Ciceroniana.

Praemittuntur quaedam:

I. quaestionis ponuntur fundamenta cum disquiratur quibus finibus Aristoteleae disciplinae ad Ciceronianam vis contineatur, quoad igitur (non quibus in rebus) illa ad hunc valuerit, his singulis rationibus illustrandis 1. quoad Ciceronem ipsa Aristotelea novisse videamus[1]), 2. quoad iam per alios accipere potuerit, 3. cuius modi immutationes rationis et differentiae cum sint rebus necessariae per se exspectandae sint.

II. cuius singula Ciceronis scripta ad hanc quaestionem sint momenti 1. ad dignoscendam veram Tullii de arte sententiam 2. ad illustrandam vim Aristotelis.

III. de ratione et via disquisitionis quaedam proponuntur. —

§ 1. Aristotelis principia (I 5) quoad sequatur Cicero.

§ 2. Systemata comparantur:

I. Notio rhetoricae.

1. genus proximum: consentiunt de hoc Aristoteles et Cicero sed illius vis apud hunc non deprehenditur.

2. proprium universum: Ar. in inventione, Cic. in elocutione ponit.

3. officium et finis: scriptores de his eorumque ratione non plane consentiunt.

4. quid subiciatur rhetoricae (*τὸ πιθανόν*),

---

1) haec infra inde a pag. 25 proponuntur.

5. quae sit eius materia (περὶ ἕκαστα): quibus in generibus cum consentiant non tamen Ciceroniana doctrina ad Aristoteleam revocanda est originem. —

6. quid inter rhetoricam et dialecticam intercedat: de universa ratione consentiunt, dissentiunt in ea accuratius definienda.

7. de verae rhetoricae a fallaci eius simulacro discrimine: quae doctrinae non conveniunt.

8. quibus ex disciplinis pendeat rhetorica,

9. de eius utilitate: quibus de rebus cum consentiant, Aristoteleae tamen non apparet vis doctrinae.

II. 10. genera rhetoricae: doctrinae Aristoteleae vis agnoscenda, non vero directa.

III. 11. partes rhetoricae: quoad Ar. et Cic. consentiunt id ipsius artis illius vi effectum videtur esse.

§ 3. Colliguntur singula quae consentiunt praecepta I. in inventione II. elocutione III. dispositione IIII. actione.

Summa haec effecta est, ut Aristotelem Cicero praeter reliquorum eius aetatis doctorum morem et in libris d. or. et in reliquis quoad cum illis consentiant, non in pluribus secutus sit quam in universa artis institutione cum ad eam adhibeantur de illius natura et vi et ambitu quaestiones in vulgari rhetorica omissae, et in systematis forma quae quidem in libb. d. or. manifesto eadem est, in reliquis autem libris subest certe; praeterea in quibusdam singulis praeceptis, quae ad numerum pertinent.

Adduntur scriptorum iudicia et consentanea et adversaria sententiae hac disquisitione effectae.

Praestantissima haec dicunt esse opera quae omnibus eadem praestantiae laude fruantur temporibus et mutatis omnibus rebus tamen pariter et delectent et doceant et exemplorum auctoritate alios impellant ad imitandum. Non igitur ad artificia et monumenta recte aestimanda nullius est momenti minimeque caret oblectatione videre quam ea vim exercuerint ad inferiores aetates. Idque cum ad plurimorum non mediocris ingenii scriptorum libros tum ad Aristotelem duobus potissimum pertinet in generibus, cuius quidem de literis merita partim in eo posita sunt quod allatis ad has multis novis copiam earum incredibiliter auxit et dilatavit ut scientiarum quarundam non iniuria diceretur parens, partim in hoc quod suam illis dedit formam principiis constituendis ac singulis ad horum normam moderandis, quo facto quae ante disciplinarum caruerant specie ita ad hanc extulit virtutem ut earum quoque quasi alter esset conditor.

Et revera tantum in nonnullis eius valuit opera, ut quam ad rationem is instituerit artes, ea permanserit usque ad extrema tempora, ut eius ex scriptis velut ex perenni fonte principia repetantur ac sententiarum

copia, denique ut quibus is res ornaverit nominibus haec ad nostrorum propagentur usum seculorum. In praestantissimis autem philosophi scriptis uno omnium consensu numeranda est eius ars rhetorica ideoque operae videtur esse pretium id quod alii aliis de libris quaesiverunt videre quid haec valuerit ad inferiores dicendi magistros. Sed ne infiniti sint rei propositae fines, antea eius quae secuta est rationis oratoriae historia paucis perlustranda fuerit ut eluceat, ubi non sine spe fructus illud suscipi posse videatur. Ipsius quidem philosophi aetate nec ita multo post cum nondum magis magisque ab eius ingenio recessisset seculum probabile est fuisse qui operam darent huius doctrinae, velut de Theophrasto qui omnino Aristotelis doctrinam propagavit[1]) scimus[2]) idemque conici certe potest de Heraclide[3]) et de incognito auctore fragmenti *περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως*[4]). Sed cum ante Stagiritam rhetorica Graeca effloruisset ut omnino cum summa perfectione remissio et diminutionis initium coniunctum est postquam in Aristotele quid praestare posset docuit languescere paullatim coepit et cadere ut non iniuria eius artem quasi funebria rhetoricae[5]) possis dicere.

[1]) v. Ad. Stahr, Aristotelia II p. 80 sq.

[2]) v. Westermann, hist. eloqut. I § 78 p. 170 in.

[3]) v. Stahr l. l. p. 84.

[4]) v. Spengel, über die rhetorik des Aristoteles in commentatt. acad. Monac. I. cl. VI 2, 1851 ed. p. 513. cl. Mus. Rhenan. V (1847) 589 in. Respiciendus est etiam alius quidam scriptor incognitus de quo Spengel, Ms. Rh. l. l. p. 590 in., nisi forte huius de eo suspitio vera est.

[5]) Sauppe, Aristoteles et Dionysius. 1863. p. 1.

Nam cum vis quaedam reciproca intercedat inter eloquentiam eiusque rationem ut quo tempore decem illi oratores exorti sunt ad summum perfectionis fastigium efferretur post philosophi memoriam republica immutata ars oratoria vehementer labefactata et ex vita foroque in scholarum umbracula depulsa est ut ea cui ante serviverat rhetorica ad huius disciplinae servitutem non sine magno damno vocaretur. Quo facto huius quoque formam mutari necesse erat atque ita mutari ut ex ea quam philosophus instituerat arte ab usu profecta in eoque innitente nihil nisi quod aut ad solam pertineret rationem aut quo singula aliqua proponerentur artificia recipi posset. Iam enim se continebant, ut ex iis videmus quae de Hermagora et eius discipulis tradita sunt, quoad rhetorica spectabat iudicia in constitutionum, quarum apud Aristotelem prioresque vix initia sunt, doctrina ex philosophorum ad quos omnino inde a Stagirita ars dicendi tralata erat more tractanda, praeterea cum eae res in quibus usque ad id tempus versati erant evanuissent ideoque ad fictas transire cogerentur caussas quae per se audientium animos non possent tenere, plus operae consumptum est in pulchra et ad praecepta accurate composita dictione, figuris potissimum (σχήμασι) constituendis. Gravissimum autem eius aetatis quae Stagiritam secuta est in eo cernitur momentum quod haec tota disciplina in Italiam transferri coepta est novasque ibi egit radices dum postea haec, Graecorum universa humanitate cum Romanis communicata illorum rhetoribus Romam transmigrantibus et his Graece declamantibus, iterum cum eorum

arte se coniunxit et eandem atque haec subiit fortunam. — Ex eorum autem qui post Aristotelem fuerunt rhetorum libris integri nobis primi supersunt Dionysii Halicarnassei quem philosophi libros legisse constat[1]). Sed quamquam non pauca Stagiritae in variis eius scriptis inveniuntur ut si iusta eius rhetorica nobis esset tradita cum Aristotelea hanc comparare non supervacaneum videretur nunc quae eius nomine fertur minime totam ab hoc profectam esse H. A. Schott. in prolegomm. ed. (a. 1804) accuratissime demonstravit; quaeque hic ad illum revocavit auctorem capp. VIII. (*περὶ ἐσχηματισμένων*) et X. (*περὶ τῶν ἐν μελέταις πλημμελουμένων*) ne haec quidem cum Aristoteleis bene conferri posse iam ex inscriptionibus fere perspicuum est; in reliquis autem illius operibus quae de arte inveniuntur non sufficiunt unde plena eius hac de re sententia colligatur[2]).

Secuta est in Graecia inde ab alterius fere post Chr. natum seculi initio opera rhetorum Graecorum qui vocantur, „larga nugarum seges paucis quibusdam intermistis bonis“[3]) ex qua Aristotelei frustra quaesiveris ingenii vestigia. Deinde magis magisque ars a Stagiritae doctrina recessit ad elocutionis tractationem quam si ad iustum modum revocatur nemo negaverit

---

[1]) v. Ad. Stahr, Aristotelia II. Spengel, Rh. d. Ar. p. 497. Sauppe, Ar. et Dionys. p. 2 med. 6 sqq.

[2]) cf. Spengel, de veterum studio rhetoricae german. ed. 1844. p. 10 in.

[3]) Spengel, rhett. Grc. I praef. p. 2 cl. eiusd. de vett. stud. rhet. p. 11.

habere aliquod momentum, sed in ea ut universae posita putetur disciplinae vis tantum a philosophi abest arte ut eam admisisse potius quam gravissimam ei tribuisse videatur auctoritatem; illoque sensu disciplinae nomen propagatum est ut quod iam eo significatur vix cum Aristotelis libris conferri possit totaque illa quae aliquando tanti ad nobilissimarum civitatum salutem fuerit momenti doctrina existimationem amiserit et suspecta exstiterit saepeque nihil aliud quam vanas denotet locutiones.

Quae cum ita sint cum inter ea quae nobis exstant Graecorum monumenta nullum inveniatur quod cum Aristotelis libris prospere comparari possit, utilius videtur esse ad eam accedere rhetoricam quae quo tempore Atheniensium eloquentia obmutuit effloruit horumque cum ea rhetorica quae etiam ad ipsum accommodata erat usum primum hac temporis ratione cum illius flos huius summam perfectionem sequeretur, praeterea artiore cohaeret vinculo: nam Romana eloquentia quamquam orta ex ipso populi ingenio et ad hoc formata republica provecta est atque confirmata, ratio tamen quae hoc nomine digna sit aliunde accessit, quae inter primas referenda est Graecorum a Romanis receptas artes quippe cum illorum naturae ad usum eumque publicum potissimum omnia referenti conveniret. Cuius modi enim disciplina eius aetatis moribus convenerit cognosci potest ex Catonis exemplo qui vir omni in genere excellentissimus ex populo suo primus „artem dicendi ad M. filium“ scripsit in observatione positam nec eius ex ambitu exeuntem ad absolutam doctrinam

caussas artificiorum indagantem id quod reliquiis satis docetur[1]); qui liber ad universam illorum temporum culturam vehementissime pertinens tamen id nondum assecutus est ut ad immortalitatem commendaretur. Ceterum apud eum adventiciae rhetoricae vestigia fuisse non fere statui potuerit, sed quae docuit ipse vita et usu doctus erat. Post medium a. u. c. VII seculum multa in lucem edita sunt scripta[2]) quorum utique gravissimum fuit commentarius Antonii qui quamquam Graece erat doctus quod ipse dissimulabat tamen librum ad usum accommodasse et quam simplicissime videtur instituisse[3]); notum quidem ei fuisse Aristotelem veri simile fit ex Ciceronis d. or. lib. II[4]) et tamen ad eum recessisse non putandus est quod si fecisset non profecto omisisset Cicero, omninoque usque ad id tempus praeter hunc et Catulum[5]) paucissimosque fortasse alios vix qui Aristotelis libros noverint[6]) nemo qui secutus sit inveniatur[7]). Ne rhetoricae ad Herennium quidem quae iam a Ciceronis iuventute prope abest auctor ab usu recessit nec quidquam aliud quam praecepta accurate observata optimumque in ordinem digesta exhibet maximam partem in Graeca illius aetatis disci-

[1]) cf. Iordan in Mus. Rhenan. XIV (1859) p. 264.

[2]) Sueton. d. ill. gramm. c. 4.

[3]) v. Westermann II § 47 p. 111 n. 5 s. f.

[4]) II 160 cl. 152, quibus non obstat ib. 43, cum dissimulatam esse ab Antonio eruditionem constet nec igitur hic locus adhibito II 61 a Piderit. explicandus erat.

[5]) v. Stahr, Aristot. b. d. Röm. p. 17.

[6]) cf. Top. 3 or. 172 extr.

[7]) cf. v. Heusd. d. Ael. Stilone. 1839. p. 33.

plina innitens[1]) ideoque quae ad hanc ab Aristotele transierant habet aliqua, ipsum autem huius libros legisse nullum est indicium. Sed cum aggressa omnino aliqua ratione totius eloquentiae Romanae forma mutata et Antonii Crassique atque etiam magis Hortensii quem primum artificiosum in eloquendo fuisse ferunt opera ad singularem quandam perfectionem illa adducta esset cui ipse Cicero summum additurus erat decus omnia comparata erant ad iustam disciplinam rhetoricam omnibusque numeris absolutam quae quidem eloquentiae florem subsequi solet. Et princeps inter Romanos dicendi magistros Tullius et fuit et habitus est. Sed cum per se non sine usu et delectatione esse possit clarissimum doctrinae Latinae lumen cum Graecae specie praestantissima comparare tamen hoc et per se a proposito nostro abhorreret et si tenemus eam Graecae rhetoricae formam quae in Italiam et ad Ciceronem quoque translata erat minime cum philosophi ingenio congruere, nisi ipse Tullius a Stagiritae ratione minime alienum se esse non semel profiteretur. Is igitur primus rhetorum Latinorum est ad quem haec quaestio iure possit accedere.

Exstiterunt quidem post eius aetatem non pauci rhetores quorum facile nobilissimus Quintilianus est; sed horum tempore eloquentia iam eiecta ex ipso foro doctrina cum usu conexa frustra requiritur, verum magis magisque ad vanarum quaestionum nugas depulsi in Graecae quae tum erat rhetoricae similitudinem ac-

---

[1]) cf. Bernhardy, hist. litt. latt. 3. ed. n. 566 p. 708 ex.

cedentis recesserunt illi ab Aristotelis ingenio. Quid autem is ad hos inferiores valuerit docuisse sufficiat exemplo Quintiliani cuius de cognitione artis Aristoteleae quod statuit Ad. Stahr. in externis testimoniis se continens non ad eius doctrinae vim transferendum est de qua quidem vera est Spengelii de universa hac inferiorum arte rhetorica sententia[1]). Ac ne illud quidem, quoad plurimi illi cognoverint philosophi libros, externis ex testimoniis certe licet indicare; permulta enim quae posteri scriptores ex his habent non fere ex iis ipsis receperunt sed a Cicerone cuius scripta summum sibi proponebant exemplar mutuati sunt. Quae cum ita sint Romanorum rhetorum et primus est et praecipuus Cicero qui cum Stagirita non sine spe ullius fructus possit comparari. Itaque ab Aristotelis ratione profecti aggrediemur Tullii doctrinam quantique illa ad hanc fuerit momenti, quoad igitur hic illum secutus sit imprimisque quid ab eo receperit quaeremus non neglegentes si graviore qua in re ab eo dissentiat.

Verum Cicero cum eorum usus sit libris rhetorum qui post philosophi aetatem fuerunt, quique utique ut iam monuimus aliqua ex huius arte receperunt, quae quam late patuerint nos iam non possumus certe dignoscere, per se patet non omnia quae Aristotelica apud illum inveniantur ab eo primo aut solo esse recepta sicut de aliis Stagiritae scriptis quorum notitiae apud Ciceronem vestigia inveniuntur iam Madvigius in VII. ad libb. de finn. exc. (p. 858) praecepit. Secernendo-

[1]) de vett. stud. rhet. p. 23 md.

rum autem illorum etsi pauca sunt adiumenta ut admodum incerta res videatur esse tamen haec quaestio quae per se non nisi secundarii est ponderis prorsus omitti non potest eaque soluta varietas quoque iudiciorum de Aristoteleae artis ad doctrinam Ciceronianam momento et explicatur et ad verum revocatur. Quare aliqua ex parte haec fieri potest distinctio ut primum secernantur ea quae ab ipso habet Aristotele cum aut dicat aut ex verborum similitudine id intellegatur; tum quae restant per alios ab illo habere per se verisimile est, certum non est nisi iam ante ab aliis receptum id esse constat ut cum ipsi nondum aliorum quam magistrorum suorum doctrina pateret non fere ignotum id esse potuerit: quo in genere distinguendum est utrum ipse unde praecepta originem ducant sciverit necne. Itaque simul in singulis quibusdam iam de prioribus rhetoribus quid ii ab Aristotele habuerint fieri poterit coniectura ex primo hoc post philosophum certo rhetoricae fundamento quod nobis in Tulli libris exstat.

Haec tenenda sunt a Cicerone ad Aristotelem regredienti: aliud accedit cum quaerenti quid ille ex hoc habeat constituendum sit quid omnino sit Aristotelis. Nam cum huic necessario aliqua cum prioribus communia sint cum singulis singula [1]) ut quid Cicero nullius ex libris alius recipere potuerit inveniatur priorum doctrinae discernendae sunt cumque Aristoteles non semper ipse dicat quid debeat prioribus [2]) haec quam

[1]) Hac in re non omitto Mansonis reicere errorem cum (Scr. miscell. p. 33) quae Cicero de Ar. συναγ. τεχν. dicit ad huius artem rhetoricam referat omniumque priorum praecepta ab eo in hac composita esse dicat.

[2]) Durius hoc expressisse videntur Spengel. in συναγ. τεχν.

plurima congerenda sunt ut error hac ex parte quantum fieri potest evitetur: quamquam hic quoque cum monumentorum destituti simus accurata notia (recte vero de his Spengel.[1]) Sophocleo illo usus est versu *ἴσμεν γὰρ οὐδὲν τρανὲς ἀλλ' ἀλώμεθα*) certum non possumus ubique scire et universae illi quaestioni, quandoquidem iam non omnia quae philosopho cum antiquioribus communia fuerint componi possunt, potius propositum est illustrare quid non sit Aristotelis sed etiam a prioribus desumi potuerit, quam quid sit eius proprium, id quod non nisi in singulis quibusdam aut ex ipsius auctoris testimoniis aut ex rerum de quibus agitur natura et institutione colligi potest.

Duae igitur huius quaestionis proponuntur partes: una ut quid Aristotelis in rhetorica sit, altera ut quid ex eo habeat Cicero examinetur.

Sed cum non satis multae exstent reliquiae res fortasse omnino diiudicari non posse videatur; verum tam incerta non est; quid enim Aristotelis imprimis sit proprium cognosci potest in medioque tantum relinquendae sunt maximam partem res singulae quas hic non tanti esse reperiemus. In universum igitur quid ad rhetoricam attulerit Aristoteles cognosci potest in eoque unius Ciceronis sufficit comparare doctrinam unde de iis quoque qui hoc priores sunt potest concludi ut eorum nulla fere tradita nobis esse scripta maioris hic non sit momenti. Atque hic et cum dissentire se ipse dicat et

---

p. 173 imprimisque Maercker de Theodecte p. 88 n. 8 cum philosopho qui verum rei auctorem non nominet arrogantiam et quasi quoddam furtum opprobrio facerent.

[1]) v. *συναγ. τεχν.* p. VI in.

cum tacite aliud statuat respiciendum est et ob rei ad universam quaestionem momentum ut quid inter utriusque tractationem rhetoricae intercedat cognoscatur et quod Cicero si quidem omnino eius libros novit non fere hoc quod gravissimum est ignorare ideoque in eo non sine discrepantiae conscientia ab illo dissentire potuit. Singula autem quamquam nec de omnibus quid sit Aristotelis quid priorum potest discerni nec utrum Cicero primus probaverit annon tamen quantum poterit fieri ad systematis a philosopho constituti formam perquirenda sunt idque ita ut primum statuatur certumne sit Stagiritae doctrinam ab hoc inventum esse quaeque ab eo primo prolata esse doceri non queat in his cum a prioribus ad Aristotelem progredientes rem perficere non possimus ut illa supra proposita universae quaestionis institutio probetur a Cicerone ad Aristotelem regrediendum ac de iis quae huius praecepta apud illum occurrunt primum iudicandum est certene quo leguntur loco ad huius artem referenda sint, in quo nullius quidem per se est momenti utrum directe acceperit annon, sed illud si est simul quaeri potest num primus, sin vero hoc, sciveritne unde profecta sint praecepta necne; hoc autem loco eo tantum respicienda sunt in quibus discedere se a Stagiritae ratione aut dicit aut certe significat, unde notam hanc ei utique fuisse apparet. Et haec via in iis sequenda quae utrum ab Aristotele profecta sint an iam a prioribus discerni non potest in his quoque ineunda est quae praecepta esse iam a prioribus certum est ideoque si apud Ciceronem occurrunt non necessario ad hunc referenda sunt, ut utrum ab hoc an ab illis acceperit dignoscatur. Ad-

dendum hic est, ut rationem quam secuturi sumus undique definiamus, si a Tullio tribuantur philosopho quae ab eo non profecta esse scimus eorum locorum vim esse incertam cum his nihil doceatur quam ab hoc Ciceronem casu illa sumpsisse quae aliunde potuerit repetere, nec iis tam probatur quanti momenti ad posterorum et Ciceronis doctrinam Aristotelis fuerit quam huius scripta quatenus ille noverit. Quae cum ita sint ut quaestionis de singulis disciplinae partibus et elementis summam faciamus, statuendum erit in iis quae ab nullo alio quam a Stagirita profecta esse doceri non potest primum acceperitne huius sententiam Cicero, tum quoad fieri poterit primusne id fecerit, quod nisi ita est — utrum ab ipso Aristotele an per alios atque in hoc utrum unde sit noverit necne[1]).

[1]) Haec igitur fere proposita ratio est:

De iis in quibus cum Aristotele consentit Cicero quaeritur

I. utrum ab Aristotele haec profecta esse certum aut veri simile sit, (quae certo a prioribus non desumpta sunt); haec quaeritur
1. utrum simul a posteris quoque aut ab ipso Cicerone inventa esse possint: — quod si est ad Ar. doctrinam referenda esse possunt.
2. necne; in quibus tum necessario vis Aristotelea agnoscenda est. porro quaerendum
utrum directe accepta | an per alios.

II. an hoc non constet: ea quaeritur
1. utrum simul ab inferioribus et ab ipso Cicerone inventa esse possint.
2. necne.
haec ad Aristotelis doctrinam referenda esse possunt.

III. an iam priorum fuisse certum sit, in quibus utique non necessario vis Aristotelea agnoscenda, sive ab inferioribus quoque et ipso Cicerone inveniri poterant aut inventa sunt sive hoc non est.
possunt autem ad Ar. esse referenda.

in his quaeritur I. utrum apud Ciceronem huius rei (ut ad Aristoteleam disciplinam referenda videantur) indicium sit, quod si est, quaeritur
1. utrum directe accepta (ut ad eius libros quoque referenda sint); quod si est,
utrum primus receperit Cicero | necne.
2. an per alios; quod si est,
utrum sciverit unde ducant originem | necne.

II. necne; tum quaeritur an verisimilius sit ex aliis fontibus ea ad Ciceronem pervenisse.

Hanc igitur rationem sequemur primum ex priorum reliquiis artium quae eorum fuerint singula et initia systematis et praecepta rhetorica quaerentes quidque contra Aristotelis; tum illis collectis quale universum utriusque generis rhetoricae ingenium. — Quibus indagatis alter sequitur locus cui propositum est investigare num idem Ciceronianae (quae quidem tota nobis exstat ut non opus sit ante conquirere ex quibus totius rei fingas speciem) ingenium sit rhetoricae atque Aristoteleae, deinde eademne systematis universi institutio, postremo res ad singula alteri probata alterius praecepta perducenda est. Quae universa ratio praestantior videtur ea ut quaque de re Ciceronis sententiam cum Aristotelis conferentes tum demum in singulis quaeramus eiusne ipsius sit an cum prioribus communis, quo singularum quidem quaestionum maior esset perspicuitas, sed et difficultas augeretur cum singula inter se cohaereant nec omnino nonnulla nisi ex ceterorum conexu imprimis in priorum rhetorum artibus possint recte intellegi, nec in universum quid profecerit Aristoteles quid ab eo receperit Cicero tam clare eluceret.

Restat ut quae aliorum ad rem propositam spectent scripta perlustremus quorum a sententiis qua ex parte dissentiendum videatur suo loco apparebit. In universum quatenus a Romanis Aristotelis non tam doctrina accepta quam scripta essent lecta exposuit Ad. Stahr. (Aristoteles bei den Römern. Lips. 1834); rhetoricam Ciceroni notam fuisse p. 48 sq. docet, sed iam Madvigius in VII. illo ad Cic. d. finn. libb. excurs. (p. 858)

recte iudicavit iis quae ille affert minime id effici quod effecerit[1]), quamquam id ipsum verum esse aliunde iure colligi possit.

„De Aristotelia vi in Ciceronis scriptis disquisitionem criticam pr. gr. doct.“ M. M. v. Baumhauer ed. Traiect. ad Rh. 1841. egit de „Cicerone oratore“ p. 70—119, non vero ita ut doctrinam utriusque inter se conferret sed litterarum potius historiam spectans quanti ad Ciceronis orationum et librorum institutionem et speciem Stagiritae exemplum fuerit momenti exposuit.

Propius ad propositum nostrum accesserit M. Bontoux qui „Aristotelis et Ciceronis principia rhetorica inter sese invicem comparata“ Paris. 1840 ad doct. gr. promvd. in Sorbona ed., qui delineata ratione Aristotelis (p. 1—33) et Ciceronis (—p. 48) p. 49—53 non tam ipsa eorum praecepta quam perfectionis quae utriusque in arte nobis obversatur gradus comparavit quibusque in rebus alteri alter praestet illustravit, recto hac in re usus iudicio sed qua ex parte alter ab altero pendeat docere non erat propositum. Aliter rem egit A. C. F. Brueckner in „disputat. qua Cic. in libb. d. or. scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit ad exemplum Ep. ad Fam. I 9, 23 examinatur,“ Svidnit. 1849. In p. 6 hoc proposuit, nonnulla deprehendi quae vel ad Aristotelis vel ad Isocratis similitudinem quandam (nimirum cum utrique communia esse statuantur) accederent et, ut libelli qui iam rarus est argumentum

---

[1]) „Parum caute rem tractavit, prope ut numeraret tantum quotiens quantaque cum laude Cicero Aristotelem nominasset.“

describatur, capita haec collegit: 1. ampliorem oratoriae artis notionem definivisse illos eiusque cum reliqua eruditione maxime philosophia necessitudinem demonstrasse (— p. 9) 2. iudicialis eloquentiae ambitum ad Aristoteleam eandemque Isocrateam doctrinam revocasse Tullium aliter quam a vulgaribus artis magistris factum sit (— p. 10) 3. artis rhetoricae ad perficiendum oratorem ponderasse vim (— p. 13). Nec igitur omnia voluit persequi sed in iis se continere quae utriusque illius scriptoris communia sint nec reliquos Ciceronis libros oratorios respicere; de singulis autem illis disputabitur I § 2 ubi de Isocrate agetur. Denique singularem huius quaestionis partem L. Spengel., gravissimus harum rerum existimator, cuius omnino ubi qua de re mihi innotuit sententia non neglegendam putavi, pertractavit in Mus. Rhen. philol. vol. XVIII (1863) p. 481—511 quae commentatio inscribitur: „die definition und eintheilung der rhetorik bei den alten.“ In ea Aristotelis quoque et Ciceronis — in quibusdam iisque gravioribus etiam ut res ferebat imprimis horum — de iis quae sibi elegerat sententias illustrat ac quaedam indicavit (p. 484 md. 485 md. 486 in. 487 s. f. 493 s. f. 494 s. f.) quae in universum a Stagirita ad posteros transierint rhetores, in quibus quamquam praecipuum Tullius tenet locum tamen nec eum potissimum, nimirum apud quem non ita multo plura quam apud ceteros Aristoteleae doctrinae vestigia inveniuntur, ad illum referre nec omnino aliter quam praeteriens ubi inferioris aetatis scriptores in iisque Tullius cum illo convenirent notare potuit, quandoquidem non huius aut omnium po-

sterorum de quaestionibus libelli inscriptione significatis doctrinas cum illo comparare, sed quae rhetoricae hoc in genere fuerint via ac progressiones describere eius commentationi propositum erat.

Ad singulas Aristotelis sententias non omittendum est saepe a primis recentiorum rhetoricae interpretum multos adhiberi Ciceronis orationum locos quibus utriusque doctrinae demonstrari consensum potes suspicari et interdum aliqua ex parte illi indicarunt; sunt autem nostram ad quaestionem plerumque minimi momenti[1]) nullamque nisi exemplorum vim habent. Praestantioribus rhetoricae Aristoteleae commentariis maximam partem plane destitutus fui praesertim cum adhuc desideretur recentior cum illis librorum de anima, organi, metaphysicae editionibus aequandus liber[2]) nec praeclarissima illa Petri Victori explicatione saepius uti licuit quam ut difficillimis quibusdam locis inspicerem.

Quae cuiusque particulae sunt aut fundamenta aut adiumenta non in hac ipsa quaestione versantia suo loco memorabuntur. Saepius fortasse quam necessarium possit videri quod diversarum aliorum sententiarum ratio habita est ne quis miretur, aliqua quae aut satis aperta aut parum gravia erant ut per se vix digna essent memoratione et refutatione propter eorum qui illa aut pri-

1) Hac de re infra in p. II prooem. ex ratione dicendum est.

2) Spengelii quidem in lucem proditurus non videtur commentarius (v. Anaximenis praefat. et Philolog. XVIII 604); qui cum bis dederit specimen (Monach. 1839 de rh. I 1—3. Stuttgard. 1844 de II 23 in.) ne prius quidem illud quod praestantissimum est nisi sero ut iam perrarus est libellus adeptus sum.

mum protulerunt aut defendunt auctoritatem non neglegendam sunt recepta: omnino enim quo quemque pluris ipse quoque faciebam quod in hoc minimum vanae rixandi cupiditatis invidia verenda erat, eo minus si ab eius sententiis discedebam has quoad necessarium videbatur impugnare dubitandum putavi.

EX PARTIS ALTERIUS PROOEMIO.

Cognitam omnino Ciceroni Aristotelis rhetoricam fuisse quoniam ineunte commentatione vidimus, antequam ad singula utriusque percepta comparanda accedamus, cum secernenda statuerimus quae ex ipsis philosophi libris repetita quaeque illius praecepta per alios accepta videantur, id quod minime in iis omnibus qui consentiunt locis ipsis cognoscitur, ut ex veri similitudine de origine possit iudicari, quaerendum est primum quoad Tullius ipsam Stagiritae artem noverit. Atque ut ille non rhetorem modo egit sed philosophum quoque, quam ipsam utriusque disciplinae coniunctionem in Aristotele quoque animadvertimus, non alienum videtur paucis respicere quoad universam huius doctrinam ille perceperit, praesertim cum in artis rhetoricae tractandae ratione multa cum reliqua philosophi disciplina arte cohaerere necesse sit, quae si non recte fuerint intellecta ne in rhetorica quidem aliquot locis eius sententia plane potuerit perspici. Possumus omittere quae in universum de eius magnitudine ac virtutibus Cicero dixit velut de mentis acumine, abundantia ingenii, doctri-

nae praestantia, scientiae copia, polita oratione incredibilique dicendi (in dialogis nimirum sive exotericis scriptis)[1] suavitate, quae cum de totius vitae externae cursu tum de huius et Isocratis aemulatione, quae de studiis ac librorum et indole et ratione dicendi (ut de exoterico scriptorum genere, de Aristoteleo more quem infra attingemus), cuius modi quidem ex locis nihil certi de accuratiore doctrinae notitia colligi posse contra A. Stahrium amplectentem hanc opinionem (Aristotelia II p. 144) iam Madvigius (l. p. 21 ex. l.) monuit.

Agitur hic de iis potissimum disciplinis quae cum rhetorica aliquo vinculo coniunctae sunt, politica igitur et ethica, dialectica et analytica atque aliqua ex parte etiam metaphysica et psychologica nec non poetica, neglectis iis quae velut ad naturales quaestiones pertinentes (de quibus A. Stahrium cf. in libr. qui inscribitur

---

[1]) v. praeter permultos alios Bernays., d. Aristot. diall. p. 4. A. Stahr. aliter quidem sapit: „es ist gewifs der kläglichste nothbehelf, diese ... allein etwa auf verlorne exoterische schriften beziehen zu wollen, nicht minder thöricht, als wenn man den beweis für dieselben in ihrer ganzen ausdehnung in allen uns übrigen werken des denkers von Stagira wiederfinden wollte. Den ersteren würde zur antwort dienen, dafs Cicero selbst von einer solchen beschränkung seines urtheils nirgends etwas weifs." Nimirum; quid enim? si praeter exotericos libros alia dicendi ratione ornatos, ac qui nobis nunc exstant, omnino paene nullos noverit? itaque non nisi ex iis quos legisset scriptis de Aristotelea dictione tulerit sententiam quae videlicet his quoque solis conveniat; a ceteris autem quod abhorreat ea nemo miratus fuerit nisi qui alios quoque illius libros huic cognitos fuisse statuerit.

Aristoteles bei den Römern p. 52, Madvigium l. l. p. 860) ab hoc longius sunt remotae.

In universum autem nec philosophum fuisse Ciceronis ingenium, nec cum latinis litteris illustret doctrinam, complurium auctorum libris accurate perceptis eorumque virtutibus distinctis eum id fecisse, sed plerumque unum aliquem sequendum sibi elegisse scriptorem nec fere ex iis qui suum ad arbitrium rem instituerent, sed in secundariis maximam partem fontibus versatum esse inter omnes constat. Ettamen quod graviore illius cognitione eum imbutum fuisse putarunt inde explicari animadversum est quod ipse hanc prae se ferre soleat speciem, qua in re illius verbis nimiam habuerint fidem[1]).

Quoad autem singulas Aristotelis perspexerit doctrinas de quibusdam sobrie iudicavit Madvig. l. l., A. Stahrii opinionibus simul refutatis ab externo sententiarum consensu ad earum origines progrediens quo facto pleraque ad inferioris aetatis scriptores redire elucet[2]). Ceterum

---

[1]) Henr. Ritter in commentat. progr. gymn. Servestan. 1846 adi. p. 6: „die begeisterung, welche Cicero für Aristoteles zur schau trägt und die glänzenden lobsprüche, welche er den gepriesenen eigenschaften der aristotelischen rede spendet, haben ihm den schein einer gewissen vertrautheit mit der aristotelischen philosophie verliehen, den die bewunderung des grofsen Römers zu einem blinden glauben erhoben und durch überlieferung von geschlecht zu geschlecht vererbt hat.“ (Ab hoc crimine non alienum esse A. Stahrium in libris suis (Aristotell. II et Ar. b. d. Röm.) de illo iam monuimus, de hoc in singulis identidem probabitur.)

[2]) „Graecis quid Cicero in philosophia debuerit“ quaesivit

reliquos illius aetatis Romanos fortasse paene non legisse Stagiritae opera per se credibile et omnibus quae huc pertinent indiciis veri simile est.

(Singuli percensentur libri: metaphysica, physica, d. an., analytica, topica, ethica, politica, poetica.)

Omnia si colligimus hic praeter scripta ad vulgarem sensum accommodata, ἐξωτερικά, quae summa cum similitudine veri ad dialogos retulit Bernays., nihil legisse Tullius videtur, et cum hac suspitione optime quadrant ea quae in universum de Aristotelea dicendi ratione totaque librorum indole ille dixit. Jam igitur repellimur ab ea ratiocinatione qua uti poterat Stahrius, Ciceronem si eos quos ille credit legerit libros veri esse simillimum in rhetorica quae plurimum ad eius studia valeret multo accuratius versatum esse.

Sed si quaerimus hanc revera quoad noverit, nullius quidem momenti sunt quae de illius philosophi in hanc meritis occasione data dixit aut quae eius de hac iudicia attulit d. divin. II 1, 4 dor. III 141: „mutavit repente totam formam disciplinae suae (quod ad scholas rhetoricas pertinet de quibus v. Zeller. Ph. d. Gr. II 2), ... ornavit et illustravit doctrinam illam omnem (i. e. — v. § 140 — unam quandam omnium rerum

---

Crome in comment. progr. gymn. Duesseldorf. 1855 adiect., Aristotelica quaedam quae apud Ciceronem apparent collegit p. 9 s. v. „Ar.“ sed non discernens unde sumpserit Tullius (ab ipsone Stagirita an per alios). In alio quaestionum genere versatur Bernhardtius in comment. „de Cicerone Graecae philosophiae interprete“ progr. gymn. Frid.-Guil. Berolin. 1865 adi.

quae essent homine erudito dignae atque eo qui in republica vellet excellere) rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit," id quod quamquam etiam in arte rhetorica aliqua ex parte factum est si eius I. lib. respicis, tamen hic non ad eam sed ad oratoriam referendum est institutionem; d. finn. V 10, Tusc. II 9; dor. II 160: „artem oratoriam despiciebat," or. 62 cl. 127 (v. Stahr. Aristotell. II 145, Ar. b. d. R. p. 44 extr.), cum haec hauriri potuerint „ex communi quadam rerum ad Aristotelem pertinentium notitia quae in eo qui posterorum oratorum Graecorum libros legisset esse et poterat et necessario debebat" (cf. Madvig. l. l. p. 858). Ac ne ea quidem Ciceronis dicta quae ad ipsa philosophi scripta pertinent, iis autem nihil nisi haec exstitisse se scire ille testatur, noveritne eorum argumentum non probat, ad hanc valent quaestionem: cuius generis hi sunt loci: d. inv. II 7 quo de loco Heusd. (d. Ael. Stilone rhet. ad Her. auct. p. 103 n. 3) „patet hinc iam eo tempore Romae innotuisse Aristotelis rhetoricam et a Cicerone perlecta esse," de illo nemo dubitabit, hoc ex verbis de quibus agitur certe effici non potest; d. finn. V 10, d. divin. II 4; quibus quae dicit dicere sane potuit etiamsi nihil nisi librorum inscriptiones noverit; praeterea animadvertendum est tribus extremis Stagiritam cum Theophrasto coniungi quod hoc quidem in genere locorum per se non multum valet, sed reliquorum generum ob similitudinem respiciendum est.

Iam ii loci quibus 1. totius rhetoricae lectio aut certe notitia indicata est hi sunt: d. or. I 43 peripa-

tetici autem etiam haec ipsa quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi a se peti vincerent oportere, ac non solum meliora sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de istis rebus quam omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent," quae omnino ad rhetoricam, non ad topicam oratoriam pertinere imprimis his verbis „ornamenta dicendi a se peti" docetur quod ad elocutionem potissimum quadrat. In universum hic de rhetorica loquens eam ita depingit ut speciem prae se ferat quasi ipse legisset; nec tamen his excluditur suspitio Ciceronem si legit Theophrasti hac de arte libros id quod postea oratore suo probavit, si quidem hunc scriptorem a Stagiritae doctrina non vehementer discrepare novit, utrumque hac laude ornare potuisse; adde quod haec non tam accurate ad ipsa eius scripta accedit ut non aut ab aliorum de his iudiciis recipere aut ex iis quae de Aristotele audiverat eiusque ex arte acceperat potuerit colligere. Aliter res est dor. II 160: „inter hunc Aristotelem cuius et illum legi librum in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum et illos in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit et hos germanos huius artis magistros hoc mihi visum est interesse quod ille eadem acie mentis qua rerum omnium vim naturamque viderat haec quoque adspexit quae ad dicendi artem quam ille despiciebat pertinebant." Quae quod ab Antonio in dialogo dicuntur, nullius hic est momenti sicut etiam Sauppius (de Arist. et Dionys. p. 2) ad ipsum Ciceronem id refert, nec quidquam tribuimus laudi quam non ad singula ipsa de arte merita perse-

quitur, gravius id est quod verba illa „sua quaedam de arte dicendi protulit“ dubitant utrum ad III eius libros an ad topica (velut Piderit. l. l.) aut ad omnia opera rhetorica (velut P. Victorius in pfat. ad Ar. rhet.) referenda sint: sed haec opinio facile refellitur quod reliquorum Aristotelis librorum rhetoricorum Tullius ne mentionem quidem usquam fecit, nedum eos a se lectos esse profiteretur; ad topica vero propterea referre quod Catulus in § 152 ea ab Antonio lecto esse coniecerit id quod is postea confirmet, non necessarium est praesertim dum § 152 non tam ad topica scripta ac ne oratoriorum quidem *τόπων* doctrinam Aristoteleam videatur spectare, quam ad *εἰδῶν* a Cicerone eodem locorum nomine significatorum explicationem; haec enim fere est a qua illius „oratio (c. 34) non aberrat.“ Sed quod non bene artem trium librorum satis notam is dicere potuerit „sua quaedam“ hoc non inde quod Antonii Graecam eruditionem dissimulantis verba sunt explicationem habet sed quia in illa voce apposita nihil inest quam accuratius se illum librum nolle significare sicut Top. 1 „Aristotelis topica quaedam“ memorantur ubi non profecto parum omnino notum fuisse eum librum denotatur.

Hoc igitur loco ipsius *τέχνης* lectio videtur manifesta esse. Similis ratio est loci in ep. ad Lentulum (ad famil. I 9) § 23: „scripsi Aristoteleo more quem ad modum quidem volui tres libros in disputatione ac dialogo de oratore quos arbitror Lentulo tuo non inutiles fore; abhorrent enim a communibus praeceptis atque omnem antiquorum et Aristoteleam et Isocrateam

rationem oratoriam complectuntur." Non quidem id quod quaerimus Aristoteleo more qui in libris sit declaratur, quamquam Ellendt. (in comment. ad Cic. d. or. libb. pfat. p. 10) et Brueckner in comment. p. 5 et Piderit. (Einleit. I 7 n. 38) hanc tuentur sententiam[1]) cum in praeceptorum copia eum positum esse iudicent; referendus is enim est ad formam ut iam A. Stahr. (Aristotell. II, 245) in universum ad „disputandi per dialogum rationem" spectare statuit idque merito Bernays. (d. Ar. diall. p. 137 n. 6) ad eius genus quoddam revocavit[2]), ut his Aristotelis τέχνῃ non tangatur verbis. Est autem de iis quae sequuntur qua ex parte ad Aristotelem attinent non aliter ac de Isocrateae quae memoratur rationis vi statuendum, quam

---

[1]) Piderit. et Brueckner coniungunt Aristoteleum morem cum verbis quae sequuntur „abhorrent enim a communn. praeceptt.," quo non recte rem administrare videntur, cum haec extrema potius pertineant ad illa: „arbitror Lentulo non inutiles fore;" Brueckner de forma dialogi cogitare nos vetari dicit tum quod oratoriam ille dixerit rationem tum quod Isocrates dialogi forma nunquam usus sit.

Aliud quoddam admiscuit Baumhauer in dissert. (p. 22 l.) p. 91, 93, 99 extr. cum rationem potissimum in utramque partem disputandi his verbis respici dicat, iniuria, ni prorsus fallor.

[2]) „Er meint im allgemeinen die auf dramatische kunst verzichtende haltung der aristotelischen dialoge in ihrem unterschied von den platonischen." aliam eorundam verborum (Ar. mor.) alio loco — ad Att. XIII 19, 4 — dictorum interpretationem ab hoc removendam esse ab utroque scriptore, Stahr. et Bern. ll. ll., demonstratum est discrimine quod inter utriusque loci vim intercedit illustrato.

non nisi in universae artis institutione respicienda cerni posse supra I § 2 vidimus, ut accuratior doctrinae notitia non indicetur sed levior tantum librorum aut certe eorum capitum quibus totius institutio adumbratur lectio veri similis fiat.

2. Singularem autem τέχνης ῥητορικῆς Aristoteleae partem scriptoris nomine adiecto Tullius memorat d. or. I 55; nam cum Crassus dixerit ethicarum ac psychologicarum rerum perscrutationem propriam esse philosophorum, oratorum propriam esse ornatam ac gravem orationem, de hac quoque philosophos, Aristotelem et Theophrastum egisse fatetur; sed hac re minime suam sententiam refelli imo confirmari („totum a me est"), cum isti librorum inscriptione aperte has res oratori concedant; unde tertium Aristotelis librum aut certe priorem eius partem qui de elocutione est (cf. Theophrasti περὶ λέξεως scriptum) illi notum fuisse apparet. Non igitur illa verba „quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor" ad psychologicam rationem, affectuum igitur in II. lib. tractationem, refero; quod si ita statuendum esset, non eius sententiae ut elocutionem oratoris propriam esse philosophi quoque concederent, sed huius ut ne philosophas quidem disquisitiones ab oratore alienas esse confiterentur testimonium ex illorum libris repeteretur: at minime simpliciter et clare procederet oratio; neque necessaria haec interpretatio est, cum „quibus de rebus" etiam ad singulas quae enumeratae sunt elocutionis virtutes referri possint, nec probabilis, quod plus probaret quam propositum erat, cum psychologicam

quoque doctrinam a rhetoribus (tum enim qua ex parte his adnumerandi sunt illos duos memorat philosophos, quod ne fiat nihil obstat) explicari dicat ut ne affectuum quidem explicationem, quae adsumi tantum debeat ab oratoribus, ab his alienam esse appareat; elocutionis igitur tractationem his respicere Cicero videtur, quamquam inspexeritne eam hinc minime elucet.

3. Tertium sequitur genus locorum eorum quibus singulas quasdam ex Aristotelis arte res ita narrat Tullius ut ipse utrum eas amplectatur necne non respiciatur. Huc primum pertinet d. inv. I 7 s. f., sed nec alias in illis libris quidquam invenitur quo τέχνης ipsius studium de Cicerone evincatur, et quae ibi tractantur haec potissimum aliunde eum habere posse intellegitur ex I d. or. lib. c. 31 (137 sqq.) ubi haec ipsa praecepta „omnium communia et contrita“ dicuntur; huc accedit quod quaedam eorum in rh. ad Her. (I 2) inveniuntur quae ab Aristoteleorum studio aliena est. Idemque ad alterum locum pertinet d. or. II 43 „illud tertium (genus demonstrativum) quod ut audio ille ipse Aristoteles qui haec maxime illustravit adiunxit . . . minus est necessarium:“ quibus illa „ut audio“ nullius momenti sunt ut Antoni verba a quo Graecam eruditionem dissimulatam esse[1]) constat (v. d. or. II 152 coll. 4 et Quintil. II 17, 6). Postremo or. 46 extr. ad topicos potius libros quam ad rhetoricos quibus non in utramque par-

[1]) Aliter Piderit. hunc locum II 43 explicat cum „ab illo philosophos (rhetoricos) Stagiritae libros non lectos esse“ fingi adnotet, quod refellitur loco d. or. II 160 ut quidem intellegendus videtur.

tem rem tractare doceatur referendum esse ante diximus. Revera igitur hoc in genere nullus exstat locus qui ad ipsam Stagiritae artem necessario revocetur.

4. Asserendi sunt ii quibus non modo tradit Cicero sed etiam amplectitur huius sententias idque

a) primum addito eius nomine. D. inv. I § 9 in. cum § 7 extr. quam modo removimus arte cohaerens hinc quoque eadem de caussa excludenda est; quae autem I 61 affert de Aristotele et Theophrasto ad illius artem omnino non pertinent nec quidquam habemus quocirca ad alium librum rhetoricum revocemus; quod qua ratione explicandum sit cum viderimus ne cum analyticis quidem cohaerere hic non quaerendum quando quidem id certe elucet τέχνης Stagiritae notitiam hinc demonstrari non posse, ac subest hic suspitio huic ab illo ea quae ipse apud eum non legerat tribui aut ob aliorum auctoritatem aut per suam coniecturam nitentem in reliquae eius doctrinae cum ratione alius similitudine. Nihil certius ib. II 156 assequimur in re ab I 7 paene nihil diversa. Ex libb. d. or. huc spectat non plus unus locus, fortasse quod ab Antonio ob doctrinae dissimulationem Aristotelem saepius laudari non fingebat: III 182 ubi quam illius affert de numero sententiam mutatis quibusdam aliisque additis ipse amplectitur: de heroo non plane eius verba expressit, cum non „invitare Aristotelem ad hunc“ (cf. Ar. III 8 p. 1408ᵇ 33) is quoque concedat necesse sit, qui — sicut Piderit. in edit. indic. p. 372 — utriusque, philosophi et Tullii, iudicium ita ad consensum revocare studet, ut dactylum ex σεμνότητος quidem parte probabilem esse dicat reiciendum autem quod a

sermone abhorreat (*λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος* cl. poet. 4 *ἑξάμετρα δὲ* (*λέγομεν*) *ὀλιγάκις καὶ ἐκβαίνοντες τῆς λεκτικῆς ἁρμονίας*) id quod ex eius doctrina potest quidem colligi, sed ab eo expetitum non est; non enim ut Piderit. haec coniungit iam antea iambum quod careat gravitate Aristoteles exclusit ut cum heroum *σεμνόν* esse dicat aliqua ex parte eum orationi accommodatum esse intellegatur, verum cum singulos ille rhythmos persequatur heroum a prosa dictione segregari patet: sed quamquam in his discedere a Stagirita Tullium apparet hoc minime tamen efficitur ignorasse hunc illius libros, quamvis eos ipsos ante oculos huic fuisse per se non clarum sit; clarius autem est de eadem re in or. 192—4; mirus enim non modo sententiarum sed saepe enuntiatorum ac paene verborum consensus est ut quin ex Aristoteleis illa tractatio pendeat dubitari non possit, quod quo facilius perspiciatur comparata utriusque ipsa verba appono:

Cic. Or. 192.	Ar. rhet. III 8 p. 1408^b 33.
Quod longe videtur Aristoteli secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quam desideret soluta oratio,	*τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος*
iambum autem nimis e vulgari sermone,	*ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν, διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.*
Ita neque humilem et abiectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam	*δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι*

probat, plenam tamen eam vult esse gravitatis,	
ut eos qui audient ad maiorem admirationem possit traducere.	καὶ ἐκστῆσαι.
193. Trochaeum autem (◡◡◡) [1], qui est eodem spatio quo choreus (–◡), cordacem appellat [2], quia contractio et brevitas dignitatem non habent.	ὁ δὲ τροχαῖος (–◡) κορδακικώτερος. p. 1409^a. δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα. ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα.
Ita paeona probat	λείπεται δὲ παιάν (quocum coniungend. v. 7 ὁ δὲ παιὰν ληπτέος),
eoque ait uti omnes	ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι
sed ipsos non sentire cum utantur (v. n.[2])	οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν.
esse autem tertium ac medium inter illos	ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιὰν καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων.
et ita factos eos pedes esse, ut in iis singulis modus insit aut sesquiplex aut duplex aut par	τρία γὰρ πρὸς δύ' ἐστιν, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν.
Itaque illi de quibus ante (§ 191 in.) dixi, tantummodo commoditatis habuerunt	οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι (1408^b 33 potissimum: ὁ δ' ἴαμβος αὐτή

[1]) Cicero trochaeum cum vocet qui vulgo tribrachus dicitur eundem apud Aristotelem vocis usum esse putat, in quo errat.

[2]) Cicero quod quaedam falso interpretatur quae facile deprehenduntur, huc nihil pertinet cui loco demonstrare propositum est fueritne ei ante oculos ipsa Aristotelis tractatio (sive in huius ipsius libro sive ab alio aliquo in sua scripta tralata).

rationem, nullam dignitatis.

ἔστιν ἡ λέξ. ἡ τ. πολλ. . . . δεῖ δὲ σεμν. γ).

194. Iambus enim[1] et dactylus in versum cadunt maxime.

καὶ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιάν ληπτέος (v. supr. ad § 193 in.).

Itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes, nec quidquam inimicius quam illa versibus,

(veri non dissimile est haec ut scriberet verbis *διά τε τὰ εἰρημένα* adductum esse quae etiam ad universalem Aristotelis sententiam (p. 1408^{b} 30 *ῥυθμόν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται*) retulit, quamquam etiamsi illis verbis *διά τ. εἰρημ.* ad haec quoque ablegari lectorem non putavit, tamen ea afferre potuit ad explicandam philosophi sententiam de iustis metris in oratione soluta fugiendis.)

paean autem minime est aptus ad versum, quo libentius eum recepit oratio.

ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον. τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

In his ipsam Aristoteleam rei explicationem proponi manifestum est. Sed si quaerimus videaturne haec etiam Aristotelis e libris desumpta, in ipso loco nullum huius quaestionis diiudicandae inest indicium; quamquam enim non fere credibile est totam Aristotelis rationem ab alio simpliciter transscriptam fuisse in suum opus, tamen id factum esse posse nequit negari. Itaque cum O. Jahn. in praefat. ad Cic. or. (ed. 2) p. 25 ind. dicat: „Ohne zweifel war Theophrast, der in der schrift *περὶ λέξεως*

[1]) „Enim", an quod qui versibus accommodati sunt careant dignitate oratoria?

diesen gegenstand (natur und gebrauch des rhythmus) ausführlich behandelt hatte, die hauptquelle für Cicero ... namentlich ist ein gründliches studium der ältern litteratur hier wohl ebensowenig als in ähnlichen fällen anzunehmen und die meisten dahin gehörigen notizen wird Cicero dem Theophrast verdanken" huic illa deberi non fere credibile est, a quo quidem totam Stagiritae doctrinam repetitam esse nemo crediderit. — Certe inde testimonium cur non ab ipso philosopho totus hic locus repetitus sit, quaeri non potest, quod a Cicerone or. 215 ita memorantur quae apud illum l. ex III 8 l. sequuntur (p. 1409^{a} 8) quaeque a se inventa esse Aristoteles adnotat (v. 11), ut cum auctores significet eius nomen omittat; in quo suspicari potueris si haec unde profecta sint ignoraverit, ne reliqua quidem primario ex fonte eum duxisse: sed quamquam cur illud neglexerit nescimus credi tamen potest et novisse a quo profecta esset doctrina et fortasse etiam in animo illum habuisse, cum veterum esse sententiam diceret; hoc enim nomine etiam d. or. III 173 ubi profert Isocratem eum ipsum comprehendi intellegimus ex or. 228, et hos duos ad fam. I 9, 23 antiquos, itemque or. 218 eosdem adiuncto Theophrasto vocat. Est igitur hic abstinendum iudicio et omnibus demum qui huc pertinent locis perlustratis videndum sitne ex eorum omnium natura de singulis aliquid eliciendum. Ceterum quod partim certe Aristotelis sententiam amplectitur Cicero (§ 196) hic eum locum posui nec generi inserui antecedenti.

Recedendum hinc est ad or. 114: „Aristoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae: ut hoc vi-

delicet differant inter se quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior.“ Quod nemo non videt ad Aristoteleum illud ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ pertinere; sed propter id ipsum quod pervagatissimum praeceptum fuisse putandum est sitne ex ipsa arte receptum iure dubitatur; quamquam ex iis quae addit ab Aristotelea rei explicatione diversa hanc ei ignotam fuisse colligi non potest: Zenonis enim de rhetoricae et dialecticae affinitate sententiam memorans quacum Stagiritam consentire adnotat cum quam illius fuisse constet rationem explicet temere hanc ad Aristotelem quoque transferens ad utrumque revocare[1]) putandus est. Verum etiamsi quis hanc explicationem non probet utique Ciceronem si vix evolverit ipsum philosophi librum haec quae facillime animo tenentur inde habere posse concedendum est; prorsus autem haec quaestio confici non potest.

§ 172 cum dicat: (Aristoteles) „versum in oratione vetat esse, numerum iubet,“ eius hoc praeceptum exprimit: ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή (III 8 p. 1408^{b} 30); quae quamquam ad verbum consentiunt tamen ob argute dicti brevitatem id quasi in proverbii inter rhetores usum facile potuit abire, itaque illi etiam aliunde quam ex primario fonte innotescere; sed ex iis quae illa verba subsequuntur: „Theophrastus iisdem de rebus etiam accuratius“ unde intellegitur eum scivisse apud illum philosophum non plura hac de re exstitisse, hoc in loco veri simile fit ex ipso Stagiritae libro eum id cognovisse.

---

[1]) Itaque ante verba „ut hoc videl.“ gravius interpungendum est, quo ea ad Zenonem non minus quam ad Ar. pertinere significetur.

§ 218 tribuit quidem Aristoteli quod apud eum non legitur cum dicat: „est ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem Theophrastum Theodectem Ephorum, unus (paeon) aptissimus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti;" at enim et facile potuit fieri ut quod fortasse de plerisque horum scriptorum sciret ad omnes referret, nec aperte philosophus a mediis enunciatis paeonem excludit, imo cum inter pedes orienti et cadenti sententiae aptos faciat discrimen hoc per se minime impeditur ne mediae quoque accommodatum eum pedem existimare potuerit, praesertim cum ante in universum dixerit eum ob naturam suam eligendum esse (1409[a] 8), ubi autem rhythmi tractationem init de universa oratione agi indicaverit (1408[b] 30 *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή*): quamquam omnino mediae orationis numerum tam exigui esse momenti non nego, ut commode is potuerit tacite praeteriri. Itaque etsi hoc in loco non manifestum est Stagiritae librum Tullio ante oculos fuisse, certe nihil obstat ne hic quoque ad ipsorum Aristoteleorum lectionem revocetur, praesertim si tenetur, quod nusquam hic obliviscendum est Ciceronem ut plerosque veteres maximam partem eos quibus utatur locos imprimis tam parvi ambitus temere afferre.

§ 228 postremo haec dicit Cicero: „hanc compositionem . . . adhibere necesse est . . ., quod ait Aristoteles et Theophrastus, ne infinite feratur ut flumen oratio" qua de re apud illum III 8 p. 1408[b] 21 *τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον.* v. 26: *τὸ δὲ ἄρρυθμον ἀπέραντον, δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μέτρῳ μὴ δέ.* Quod ab ipso vix

credibiliter desumptum est Aristotele, veri similius a Theophrasto hoc mutuatus fuerit (quod verborum exiguior est cum Aristoteleis consensus praesertim cum apud Stagiritam illà fluminis imago desit, quamquam in scriptis aliorum interpretandis sua addere Tullium supra in considerando loco or. 192—4, si quidem illa de ipsis philosophi verbis convertit, vidimus) idque Aristotelis auctoritate confirmari meminit; in iis autem quae illa subsequuntur Aristotelea origo non fere potest negari; nam cum sic pergat: (oratio) „quae non aut spiritu pronuntiationis aut interductu librari sed numero coacta debet insistere“ cum illius sententia mire convenit (III 8 p. 1409ª 19: *δεῖ .. δήλην εἶναι τὴν τελευτὴν μὴ διὰ τὸν γραφέα μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν*[1]) *ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν*) ut quin ab eo pendeat dubitari non possit, etsi hic quoque idem quod in his omnibus ex III 8 desumptis locis monuimus tenendum, quamvis magnus sit consensus ideoque verisimilis mutuatio tamen etiam per alios utique potuisse eum accipere doctrinam negari non quire: sed quod in his singulis minus improbabile est id sententiarum similium copia infringitur; mirum enim esset si tantum numerum tam arte accommodatorum locorum Theophrastus aut alius aliquis ad verbum recepisset, ne integram philosophi disputationem translatam esse putemus: ut in rhythmi certe tractatione id veri simile sit, ubi complures afferantur auctores in iisque Stagirita,

---

[1]) A. Stahr, in adi. ad interpretat. hui. loc. nota p. 256 (ed. 1862) aliter atque Cicero *παραγραφήν* convertit cum hanc referat ad eam lineam qua paginae columnae separentur: minus recte ut videtur.

ab huius ipsa illum doctrina profectum esse, ceteros autem ut consentientes, quorum iudiciis illam comprobet, adsumpsisse.

b) Altera locorum huius generis species est eorum quibus nomine non addito sed tam clare Aristotelea is recepit ut ex ipsa *τέχνῃ* illa desumpta esse veri sit simillimum, unde hanc ei notam fuisse intellegitur. Mittuntur igitur ea quae a Stagirita quidem originem satis aperte ducunt cum ab eo demum ad artem haec adhibita esse constet, sed aut manifesto (velut distinctio generum caussarum, argumentorum artificialium et artis expertium) aut probabiliter iam ante Tullium a plerisque aut omnibus accepta sunt rhetoribus, ut ab his quoque etiam ante quam ad ipsorum illius scriptorum accessisset lectionem Cicero discere posset. Verum cum de librorum philosophi notitia hic agatur excluduntur etiam plurima ea quae iam ante hunc vulgo recepta fuisse nescimus sed ex ipsa arte desumpta ea esse certe doceri aut ad veri similitudinem duci non potest (quae in singulorum praeceptorum comparatione apparebunt II § 3).

De invent. libri nihil eius modi exhibent quod huc referamus nec magis topica aut Brutus; sed in illis d. or. exstare quaedam videntur, quamquam in dialogo accuratissimus verborum allatorum consensus nec postulari potest nec exspectari. Itaque II 32 haec dicit, in quibus facile agnoscas Aristotelea ex I 1 p. 1354ᵃ 7:

τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα (sc. *ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν*)	Cum plerique temere ac nulla ratione caussas in foro dicant,

δρῶσιν, οἱ δὲ διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως·	nonnulli autem propter exercitationem aut[1]) consuetudinem aliquam callidius id faciant,
ἐπεὶ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ ὁδοποιεῖν. διὸ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ συνήθειαν καὶ οἱ ἀπὸ ταὐτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται,	non est dubium quin si quis animadverterit quid sit quare alii melius quam alii dicant id possit notari (respond. τῷ ὁδοποιεῖν ad quod pertinet etiam § 32 in. „illud affirmo praecepta posse quaedam dari“).
τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι.	Ergo id qui toto in genere fecerit, si non plane artem at quasi artem quandam invenerit.

Ex his intellegitur et summam sententiarum nec pauca singula verba inter utrumque consentire; ac si respicimus eiusmodi rationem vix ab inferioris aetatis rhetore susceptam esse eamque pertinere ad illa quae (ut ipse Tullius in ep. ad Lentulum dicit nosque rhetoricae ad Her. exemplo docemur) „a communibus abhorrebant praeceptis“ (quibus nimirum cum ipsam disceptationem sitne rhetorica ars neglegatur simpliciter id quod Aristoteles effecit aut acceptum aut omissum fuerit),

---

[1]) ἕξεως notio ab Aristotele in Eth. Nic. tractata quid sibi velit Ciceronem nescivisse hinc non iniuria suspicatus fueris, quocum consentit quod supra dictum est Ethicae Nic. cognitionis omnino nullum esse testimonium. Ceterum praeterea vidimus ἐντελεχείας vim ei ignotam fuisse ut iam hic per se conicere liceat ne eam quidem quae cum his duabus cohaeret, δυνάμεως accuratiorem definitionem illi fuisse cognitam.

et si cum hac re coniungimus quod libri principium ex hoc universo facillime cognitum fuerit scriptori, non errare videmur, in hoc ipsa Aristotelea agnosci statuentes.

III 173 idem fieri potest quamquam non tam indiscreta utriusque loci est similitudo: „interspirationis, Cicero ait, non defatigationis nostrae, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo (v. § 171, 41) interpunctas clausulas in orationibus esse (veteres illi) voluerunt.“ Etenim iam memoratum est (p. 39) in veterum quos dicit numero a Cicerone haberi Stagiritam; qui hac de re quid iudicet modo (p. 42) est allatum in eo loco (or. 228) comparando, quo, cum novem annis post scriberet aperte indicavit unde illud profectum sit. Minorem autem hunc verborum consensum ut in dialogo explicatione non carere modo diximus.

Atque eandem ob caussam ne in § 175 quidem ab Aristotelea origine haec suspicari licet aliena esse „versus in oratione si efficitur vitium est, ettamen eam coniunctionem sicuti versum numerose cadere et quadrare et perfici volumus.“ His enim illius similia sunt (III 8 p. 1408^b 30) *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. ποίημα γὰρ ἔσται.* Clarior vero doctrinarum eadem de re concentus or. 195 apparet quo de loco infra agetur.

Ex partitionibus autem oratoriis, in quibus ut in brevi artis summario nulli omnino fontes itaque ne Aristoteles quidem nominantur, § 10 ita comparata est ut huius ipsius e lectione orta esse videatur; haec enim in illis exhibentur: „C. F. quid habes igitur de caussa

dicere? C. P. auditorum eam genere distingui; nam aut auscultator modo est qui audit aut disceptator, id est rei sententiaeque moderator; ita aut ut delectetur audit aut ut statuat aliquid; statuit autem aut de praeteritis ut iudex aut de futuris ut senatus; sic tria haec genera iudicii deliberationis exornationis.“ Res enim ipsa, generum divisio cum ut iam monuimus multo ante Ciceronis aetatem rhetoribus nota atque pervagatissima fuerit, hic primum apud eum ratio dividendi in auditorum genere a philosopho posita respicitur, cuius rei ne in prioribus quidem illius, de oratore, libris vestigium est; ettamen in partitt. minime plus ei divisioni tribuitur cum reliqua praeter iudiciale genera hic non accuratius quam in oratoriis tractentur. — Jure igitur colligi videtur, hic demum illam a Tullio adsumptam, cumque ipsa verba (imprimis eorum quae attulimus priora) interpretationem videantur prodere, quamvis non plane certo at veri similiter ex ipsa Stagiritae arte repetitam esse in qua quidem haec leguntur I 3 p. $1358^b 2$: *ἀνάγκη τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι ἢ κριτήν, κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων ἢ τῶν μελλόντων· ἔστι δὲ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων οἷον ἐκκλησιαστής* (senatoris ille ut sibi maxime propinquum profert exemplum), *ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων οἷον ὁ δικαστής, ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως ὁ θεωρός.* — Reliqua quae eodem ex libello huc revocare potueris quamvis prope absint a Stagiritae sententiis, tamen, etiamsi in prioribus Tulli scriptis eorum nulla habita est ratio, ut quae nova hic accedunt iam non a magistris accepisse sed suis sibi studiis pa-

rasse videatur, tamen aliqua ex parte eius modi sunt, ut ipse quoque invenire potuerit (velut § 13 cl. rh. III 14 p. 1415^{b} 33; § 84 cl. I 6 p. 1363^{a} 23; § 90 cl. I 1 p. 1355^{a} 18 id quod a rhetoribus Aristotele inferioribus iisdemque antiquioribus Cicerone, qui quidem de artis eiusque materiae natura accuratius non inquirebant, omnino non tractatum videtur).

Idemque valet in oratoris quibusdam locis velut 189: „senarios effugere vix possumus, *magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio*“, in quibus, cum verba parum consentiant (respondent autem his Aristoteleis III 8 p. 1408^{b} 44: *μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες*) origo non tam manifesta est; nam id quidem hic non obstat quod ipse quoque Tullius hanc rem facile potuit observare quandoquidem cum tota illa numeri tractatio e Stagiritae disciplina pendeat, unde graviora mutuabatur, simul etiam talia accepisse putandus est. Clarius autem or. 195 haec verba: *neque numerosa esse* ut poema *neque extra numerum* ut sermo vulgi *esse debet oratio*, Aristoteleam videntur prodere originem cum III 8 in. p. 1408^{b} 21 legamus: *τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον*, nec fere inde alienum est quod paullo infra exhibetur: *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον μέτρον δὲ μή, ποίημα γὰρ ἔσται* (quibuscum modo etiam ex oratoriis libris locum contulimus). Alterius enim illius enunciati tanta est cum illo similitudo quanta non fere casu oritur; quamvis autem per se minime excludatur Tullium id per alios accipere potuisse atque ita fortasse

ut ipse unde sit ignoraret, tamen cum nullum eius rei sit indicium id esse veri simile negandum videtur.

Quod si quae adhuc disputata sunt colligimus, primum satis aperte a Cicerone in universum significatur lectam a se esse Aristotelis artem rhetoricam. Haec ipsa igitur res cum pro certo accipiatur, cum varia eius sint genera si quidem etiam is librum legit qui totum obiter percurrit pauca fortasse ac saepe ne ea quidem diligentius perquisivit, id quod in gravissimis quibusque aut certe celebratissimis maxime accidit scriptis quorum a lectione nemo fere alienus haberi vult, altera est quaestio, quanto opere illam Tullius legerit vel potius quam accurati eius studii exstent vestigia: atque hic quasdam librorum partes prorsus non respici videmus, cuius generis ea sunt quae cum ipsa philosophia artius cohaerent, itaque et psychologica atque logica explicata in lib. II cuius nusquam mentio fit (quandoquidem d. or. I 51 non ad psychologiae sed elocutionis tractationem referendam esse statuimus) suntque haec eadem in quibus a rhetoribus aetatis Aristotele inferioris minima ponebatur opera, et politica atque ethica quae lib. I c. 4—14 continentur, tractantia maximam partem generatim res, ut per se ad alium quoque atque Graecarum civitatum statum referri possint. Haec extrema cum cognita esse Ciceroni ex loci d. or. II 152 explicatione nostra videatur sequi, nulla alia in re posita est similitudo ibi memorata quam quod omnino quae Aristoteli εἴδη sunt tractantur cum a vulgaribus omitti soleant rhetoribus (v. rhet. ad Her.) non vero quod eodem atque ab illo modo exponantur. Ce-

terum si „ex silentio" quid concludere licet d. or. III 141 ubi Aristoteles cum Isocratis inanem elegantiam sermonis impugnaret doctrinam et rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniunxisse dicitur, finitimum erat idem de eius τέχνῃ memorare; quamquam enim a Crasso lectam esse huius libros non fingit, tamen aliquo modo illam rem poterat indicare. Hinc igitur id iure colligi videtur, etiamsi Stagiritae librorum hoc in genere institutionem non ignoraverit tamen non adeo eorum cognitione imbutum fuisse ut hoc ei fuerit exemplum propinquum ac quasi familiare.

Universa autem officii oratorii divisio quod in libb. d. or. atque etiam in oratore eadem ac philosophi est ut πίστεις ἦθος πάθη illustrentur, cum ipsae eorum rerum tractationes parum consentiant hinc eas quas modo memoravimus partes librorum lectas esse non intellegitur quando quidem huius systematis expositio iam I 3 exhibetur, a prioribus autem vulgari institutione id non fere mutuari potuisse videtur, cum eius divisionis nec in rhet. ad Her. vestigia sint nec d. or. I c. 31 mentio fiat.

Contra rationem haberi vidimus et singulorum quorundam I. libri locorum (I 1 in. et eorum quae paullo infra sunt, et I 3) pertinentium ad ea quae in universa rhetorica versantur, atque haec ex ipsa arte repetita esse credibile apparuit, et lib. III cap. 8 cum quo quae consentiunt cum in singulis locis diiudicari non potuerit unde sint recepta, eos omnes si complectimur utique universum illud ei ante oculos fuisse caput intellegitur; respiciuntur enim sexiens singuli fere versus (p. 1408^{b} 21

in or. 195; v. 26: or. 228, d. or. III 195; v. 30: or. 172; p. 1409^a 12: or. 215; v. 16: or. 214; v. 20—21: or. 228, d. or. III 173) ac praeterea p. 1408^b 32—1409^a 8 in or. 192—4 exhibetur. Verum hic id in medio nobis relinquendum est utrum ex ipsa Stagiritae rhetorica an per alium aliquem, non quidem ex vulgari disciplina a quo hanc alienam fuisse rationem ipse monet d. or. III 188, id cognoverit, sed per eum qui cum suam de rhythmo sententiam exponeret, integram philosophi et fortasse aliorum quoque doctrinam partim probans partim refellens attulerit; eiusque suspitionis indicia haec sunt, quod nec tertio ex libro ullius alius capitis tam accurate ratio habetur et quem ad modum O. Iahn. (in or. pfat. p. 25 s. f.) coniecit Ciceronis aetate de numero videtur esse disquisitum, ut ab huius generis aliquo scriptore tota philosophi disputatio recepta esse potuerit: at etiamsi hoc statuimus ea ipsa re Cicero ad Stagiritae tractationem rhythmi diligentius perlegendam excitatus esse potest. Quae res utcunque se habet, pro certo nihil habetur nisi quod lib. III 8 cap. Tullio accurate *notum* fuisse apparet, unde sitne totus hic liber ab eo lectus colligere non licet.

Itaque cum *a Cicerone lectam universam philosophi artem manifesto non queat negari, doceri cum aliqua veri similitudine non nisi de lib.* I *capp.* 1—3 et III 8 *potest, in reliquis autem omnino nullum aut summum leve eum apparet collocasse studium.*

Quae cum ita sint adversor Stahri iudicio quod de rhetorica quantum scio nondum refutatum est, quam-

quam contraria huic eadem de re a Spengelio potissimum opposita sunt; nec minus aliqua ex parte Westermanno repugnandum est cum dicat (hist. eloqut. II § 56 p. 133): „in ersterer beziehung (der schriftlichen überlieferung der rhetorischen theorie) ward der ungleich höhere werth der ältern strengern techniker bald erkannt und Aristoteles Theophrastus und Isocrates von dem besonnenen Cicero wenigstens bei seinen rhetorischen studien (ad scripta haec pertinere intelligitur ex nota sequ.) zum grunde gelegt: n. I: Ep. ad Fam. I 9 extr." unde cum nullis finibus rem circumscripserit huic loco simpliciter fidem haberi apparet, quod si fit cum his verbis ipsos libros non plane consentire manifestum est (quapropter qua alia ratione explicandus videatur antecedente quaestione illustratum est). Itaque Cicero cum praeter aequalium rhetorum consuetudinem ad Aristotelis doctrinam propius accederet, illa verba suo iure potuit scribere, nos cum non ex illa comparatione iudicemus, eius verbis adscribere non debemus. Obiterque monendum fuerit Pideritium non habere cur d. or. II 362 (qua nota quid omnino hac de quaestione sentiat indicat) Catuli verbis „diligentissime Antonium cognosse quae vix attigisse ab illo putatus sit" Ciceronem quid prioribus imprimisque Aristoteli debeat significaturum fuisse dicat, cuius quidem libros diligentissime Tullius cognosse dici merito non potest.

CONSPECTUS LOCORUM SIMILIUM

imprimis I § 4 II § 3 comparatorum[1]).

Lib. I.

Cap. 1.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	1354ᵃ 1.	or. 114.
	ib. 3.	d. or. I 12.
	ib. 7.	d. or. II 32.
	1354ᵇ 30.	partt. 13.
Plat. Phdr. 273 D.	1355ᵃ 18.	
Rhet. ad Al. c. 20 md.	ib. 30.	d. or. I 32.
	1355ᵇ 1.	d. or. I 31.
(Ep. rh. ad Al. ded., md.)	ib. 2.	
Isocrat. Nicocl. c. 2.	ib. 3.	

Cap. 2.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	1355ᵇ 26 π. ἕκαστ.	d. or. I 21. 64. 70. II 5. III 76.
(Rh. ad Al. c. 8 in.)	ib. 35 sqq.	d. or. II 116. 163. partt. 5. top. 8.
	1356ᵃ 2.	d. or. I 142 sqq. 87 md. II 79 sq. 175 sq. 181. 115. 121. 128. 310.

[1]) Diducti numeri sunt locorum in quibus manifesto inest vis Aristotelea.

Cap. 3.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	1358ª 38.	or. 71. cl. d. or. III 210 s. f.
	1358ᵇ 3.	partt. 10.
	ib. 14 sqq.	partt. 69. d. or. II 105.
	ib. 14.	partt. 13 s. f.
	ib. 22.	d. or. II 334. partt. 83. top. 91.
	ib. 26.	top. 91.
	ib. 27.	partt. 71. top. 91.
p. 1422ª 19.	1359ª 12.	

Cap. 4.

	1359ª 33.	partt. 83.

Cap. 5.

1422ª 7.	1360ᵇ 24.	
	ib. 27.	partt. 74.

Cap. 6.

	1362ª 35. cl.	partt. 91.
	1385ᵇ 23.	
	1363ª 23.	partt. 84.

Cap. 8.

	1365ᵇ 23.	d. or. II 337.

Cap. 9.

1422ª 15.	1366ª 34.	
	ib. 37.	d. or. II 343.
1421ᵇ 35.	1366ᵇ 9.	
1440ᵇ 22.	ib. 34.	

Cap. 10.

1422ª 2.	1368ᵇ 5.	

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	1369^{b} 24 sq.	partt. 91.
	ib. 35.	partt. 137.
	Cap. 11.	
1422^{a} 17.	1370^{a} 28 sqq.	
	Cap. 15.	
Rh. ad Al. c. 16.	1375^{b} 27.	
	1376^{a} 17.	partt. 96 in.
Rh. ad Al. c. 17.	1376^{b} 32.	
Rh. ad Al. c. 18.	1377^{a} 8.	
	Lib. II.	
	Cap. 1—11.	
		d. or. II 206—8 (partt. 58. or. 131).
	Cap. 4.	
	1380^{b} 35.	d. or. II 206.
	Cap. 8.	
	1385^{b} 15. 1386^{a} 27.	d. or. II 211.
	Cap. 10.	
	1387^{b} 26. 1388^{a} 19. 21.	d. or. II 209.
	Cap. 23.	
	1397^{a} 7.	d. or. II 169. partt. 7. top. 16. 46.
	ib. 20.	d. or. II 167. partt. 7. top. 12. 38.
	ib. 23.	(d. inv. I 30.)
	1397^{b} 3.	d. or. II 172. partt. 7. top. 23. 68.
	1398^{a} 15.	d. or. II 163. partt. 7. top. 9. 26 sqq.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	1398^a 29.	d. or. II 165. partt. 7. top. 10. 33 sq.
	ib. 32.	d. or. II 168. partt. 7. top. 15. 41 sqq.
1422^a 26.	1398^b 20.	
	1399^a 6.	d. or. II 167. partt. 7. top. 13. 39.
	ib. 10.	d. or. II 171. partt. 7. top. 23. 67.
1422^a 25.	ib. 18.	
1422^a 25.	ib. 33.	
	1399^b 5.	d. or. II 171. partt. 7. top. 22. 58.
	1400^a 30.	ib.
	1400^b 17.	d. or. II 165. partt. 7. top. 10. 35 sqq.
	Lib. III.	
	Cap. 1.	
	1404^a 16.	d. or. I 114. 145.
	ib. 28.	or. 66 sqq.
	Cap. 2.	
Rh. ad Al. c. 24 in. et extr.	1404^b 2.	d. or. III 37 sq. 48 sq.
	ib. 4.	or. 70 sqq. (cl. d. or. III 53 s. f. 210. or. 88 extr.).
	ib. 19.	or. 89. 145.
	ib. 28 *γλώττ.*	d. or. III 153. or. 80 extr. Br. 259.
Rh. ad Al. c. 24 in.	ib. 29 *διπλ. ὀν.*	
Isocrat. Spgl. *σ. τ.* p. 162.	ib. *πεποιημ.*	(d. or. III 154. 170.)
Rh. ad Al. c. 26 in.	ib. 32 *κορ. κ. οἰκ.*	d. or. III 49. cl. partt. 19. d. or. III 149.
Rh. ad Al. c. 24.	ib. *μεταφ.*	or. 91. 92.
Isoc. Sp. *σ. τ.* 162 (*ἠχ. πεπ.*)	1405^a 30. 31.	
Isocrat. Spgl. *σ. τ.* p. 162.	1405^b 6 et 18.	d. or. III 163.
	Cap. 3.	
	1405^b 35.	or. 89.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
	Cap. 4.	
	1406^{b} 20.	d. or. III 161. cl. 157 in.
	Cap. 5.	
1435^{a} 29.	1407^{a} 21.	
Isocrat. Spgl. *σ. τ.* p. 162.	ib. 24.	
Rh. ad Al. c. 26 in.	ib. 31.	
Ib. et extr.	ib. 32.	
Protagor. h. ips. loc.	1407^{b} 7.	d. or. III 40.
	Cap. 6.	
Rh. ad Al. c. 24 s. f.	1407^{b} 26.	
Ib. c. 23.	ib. 37.	
	Cap. 7.	d. or. III 53 extr. or. 71 extr. 123.
Rh. ad Al. c. 23 s. f.	1408^{a} 23.	
	Cap. 8.	
Isocrat. Spgl. *σ. τ.* p. 162.	1408^{b} 21 sq.	or. 195. cl. 172.
	ib. 26.	or. 228.
(Isocr. Spgl. *σ. τ.* p. 162.)	ib. 30.	d. or. III 175. cl. I 151 extr. Br. 32.
	ib. 33-1409^{a} 9.	or. 192 sqq.
	ib. 35.	or. 189.
	1409^{a} 12.	or. 215 extr. d. or. III 183.
	ib. 16.	or. 214.
	ib. 20.	d. or. III 173. or. 228.
	Cap. 9.	
	1409^{b} 13.	d. or. III 190.
	ib. 18.	d. or. III 191.
Rh. ad Al. c. 27. 28 sq.	ib. 33 (cl. 1410^{a} 24).	or. 166. d. or. III 206. 207 in.
De Georgia v. Cic. or. 165. 175.	ib. 33 sqq.	or. 65. 84. 135. 175. 220.

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
Rh. ad Al. c. 23 in.	Cap. 10.	
	Cap. 11.	
Theodor. v. h. ips. loc.	1412^{a} 26.	d. or. III 207.
	1413^{a} 19.	d. or. III 203.
	Cap. 12.	
	1413^{b} 4.	d. or. I 152. II 64. or. 66. 130. 132.
Rh. ad Al. c. 24 md.	ib. 19.	
	1414^{a} 8.	partt. 97 extr. cl. Br. 283.
Rh. ad Al. c. 36 p. 1441^{b} 16.	ib. 17.	partt. 72. or. 207. Br. 32.
	Cap. 13.	
	1414^{b} 12.	d. or. II 311.
	Cap. 14.	
	1414^{b} 21.	d. or. II 320.
Rh. ad Al. c. 36 in. cl. 1437^{b} 28.	1415^{a} 2.	
1441^{b} 32.	ib. 23.	d. or. II 320 extr.
1442^{a} 22.	ib. 28.	
1441^{b} 36.	ib. 35.	
1441^{b} 34.	ib. 36.	
1441^{b} 35. cl. 1436^{b} 7.	1415^{b} 2.	
	ib. 23.	partt. 13. cl. 97.
1441^{b} 34. cl. 1436^{b} 5; 1442^{b} 28. cl. 1438^{a} 1.	ib. 33.	
1436^{b} 7 all.	ib. 36.	
	Cap. 15.	
1449^{a} 9.	1416^{a} 8	
1449^{a} 8.	ib. 14.	

Priores rhetores.	Aristotel.	Cicer.
1437^{a} 13.	1416^{a} 29.	
1443^{a} 6.	ib. 32—35.	
	Cap. 16.	
Spgl. *σ. τ.* p. 162.	1416^{b} 21.	
	ib. 25.	d. or. II 330.
(Alit. 1438^{a} 20.)	ib. 29.	(d. or. II 326.)
	Cap. 17.	
1442^{b} 33 sqq. 1444^{a} 6 sqq. ib. ^{b} 11. 1427^{a} 24.	1417^{b} 23.	
1441^{a} 23 et 33. 1425^{b} 37. 1426^{a} 19. 1444^{b} 8.	ib. 32.	
	Cap. 18.	
	1418^{b} 39.	d. or. I 17.
	1419^{a} 20.	d. or. II 285. 287.
	Cap. 19.	
1443^{b} 17. 1440^{a} 39.	1419^{b} 13.	
	ib. 20.	d. or. II 332.
Plat. Phdr. 267 extr. Rh. ad Al. c. 21. 22. 1444^{b} 21.	ib. 14 et 29.	
	ib. 29.	partt. 122.
Rh. ad Al. c. 22.	1420^{a} 1.	
1434^{a} 9.	ib. 3.	

VITA.

Aemilius Mauritius Hugo Jentsch natus sum Luccaviae in oppido Lusatiae inferioris a. MDCCCXL d. 20. Septbr. patre Mauritio sacrorum antistite qui praematura morte iam septennario ereptus est, matre Theona e gente Grossiana qua adhuc viva ex animi sententia laetor. Fidem profiteor euangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium adii Luccaviense cui nunc Thiel. V. Ill. director praeest idque tum Vetter Prof. Cel. pro rectore, post Beat. Below. vir et summa humanitate et insigni quadam docendi facilitate praestans director moderabatur, quibus viris ceterisque illius scholae magistris quid debeam hic non neglego grato animo profiteri.

Maturitatis testimonio exornatus vere a. MDCCCLIX ad almam litterarum universitatem Berolinensem me contuli cuius civibus a Rectore Magnif. Dove adscriptus et nomen apud philosophorum ordinem cui tum praeerat Magnus V. Ill. professus sum. Philologicis potissimum non neglectis historicis et philosophicis studiis operam dedi ducibus Boeckh. Haupt. Droysen. Koepkio Lepsio Muellenhof. Trendelenburg. nec a theologicis abfui lectionibus Beat. Niedneri Steinmeyeri Twesteni. Quibus omnibus viris optime de me meritis hac occasione data gratias ago maximas. A seminarii philologici quod Boeckh. et Haupt. moderantur exercitationibus nullo studiorum meorum tempore alienus fui. Praeterea Maerckeri exercitationibus dicendi spatium semestre et philosophis Trendelenburgi triennium interesse per insignem horum virorum mihi licuit benevolentiam. Itaque cum propositum mihi esset ut studia ad finem quendam perducerem dissertatione conscribenda, huius viri factum est auctoritate et consilio ut Aristotelis a rhetorica profectus eam rem perquirendam cuius iam composui fructum susciperem.

Hac igitur dissertatione amplissimo philosophorum ordini tradita fore spero ut summi in philosophia honores rite in me conferantur.



SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. Et ab Aristotele rhetorica ad Theodectem scripta et ab hoc ipso ars composita est.
2. Nullam esse caussam satis gravem cur ars rhetorica ab Aristotele iam prima aetate confecta esse statuatur.
3. Tertium artis rhetoricae Aristoteleae librum utique ante Theophrasti *περὶ ὑποκρίσεως* librum scriptum atque ab Aristotele profectum esse contendo.
4. Nullum esse indicium quo Aristotelis analytica topica physica metaphysica d. an. libb. ethicam politicam poeticam a Cicerone lecta esse probetur.
5. De IIII a Wolfio impugnatarum Ciceronis orationum genuina origine iniuria dubitatur.
6. In Taciti dial. d. orr. c. 32 md. Hauptii coniectura „quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis ut in actionibus *quorum vis cunque* cotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur" eam efficit sententiam quae hoc loco necessaria est.
7. In Aeschyl. Sept. c. Th. v. 389 pro . . *κεδνὸν Ἀστακοῦ τόκον*

   τόνδ᾽ ἀντιτάξω προστάτην πυλωμάτων

   legendum est *τῶνδ᾽*.
8. Vota promissoria ex fidei euangelicae rationibus non simpliciter esse reicienda.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 086 945 A